

**De blennorrhagia urethrali syphilitica virorum : dissertatio inauguralis
medica ... / auctor Joannes Carolus Held.**

Contributors

Held, Johann Karl.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Ioannis Friderici Starkii, 1820.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cvn3edbu>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE A. 423

BLENNORRHAGIA URETHRALI SYPHILITICA VIRORUM.

DISSE

RTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
LEGITIME SIBI CONCEDANTUR
DIE III. M. JUNII A. MDCCCXX
H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES CAROLUS HELD

BRAUNFELSENSIS


OPPONENTIBUS

TEMMEL

MEDICINAE UTR. DOCTO

LEOPOLDO BAMBERGER

MEDICINAE CANDIDATO



BEROLINI,
TYPIS, IOANNIS FRIDERICI STARKII.

ЕСА А

ІСТОРІЯ ЗОВІДЛЯ

PATRI DILECTISSIMO
LUDOVICO HELD

MED. CHIRURG. ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI,
SERENISS. PRINCIPIS DE SOLMS-BRAUNFELS
A CONSIGLIIS AULICIS, ET ARCHIATRO, DI-
TIONIS BRAUNFELSENSIS PHYSICO.

SPECIMEN HOC INAUGURALE

PIA GRATIAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

C A P U T . I.

*De nomine morbi ac variis auctorum sententiis
generatim.*

Si aptis, quod nemo dubitat morborum natura nominibus iudicanda est, Gonorrhoeae denominationem parum ad huius morbi indolem responderet, vel certe falsam veterum medicorum de eo opinionem demonstrare, facile omnino patet. Gonorrhoea secundum enim etymologiam (*γόνος* semen, *ῥέω* fluo) morbosum seminis effluvium significat, quod neutiquam in hoc morbo adesse nemo ignorat.

Aliud igitur nomen, quod clarius naturam morbi declaret, eligendum est. Nomen Leucorrhœae ab aliis propositum, magis sequelae morbi, non autem morbo ipso convenit, quia effluvium nunquam (*λευκὸν*) album est.

Natura morbi, quam postea exponemus, ap-
tius nomen praebabit, si quidem ad effluvium in

hoc morbo proveniens respiciatur, nomen quod plerumque adhibetur Blennorrhoeae accipi potest.

Blennorrhœa ($\beta\lambda\epsilon\nu\rho\varsigma$ mucus, $\phi\epsilon\omega$ fluo) secretionem muci auctam iudicat, sed sedem, causam morbi et indolem secretionis minime demonstrat; quae sunt explicanda, priusquam verum et aptissimum morbi nomen iudicamus. Blennorrhœa in omnibus partibus, in quibus mucus secernitur sedem habere potest, sed hic solummodo de ea, quae in partibus genitalibus occurrit serino est; in quibus ipsis variam occupare sedem potest. Causam remotam infra exponam, de causa proxima variae medicorum opiniones feruntur. Etenim morbum crediderunt alii vesiculis seminalibus praecipue situm esse qua de causa semen profluere opinabantur et morbum gonorrhœam dixerunt. Quam opinionem Astruc etiamnum defendit; quamvis rarissime tantum ad has partes morbus propagetur,

Alii voluerunt ulcus urethrae effluvium efficer idque ipsum pus esse, ut Swietenius etc. Sed Morgagnius, Hunterius, Gatakerus, Pottius, Stollius in sectionibus inter hunc morbum defunctorum nihil eiusmodi invenerunt. Superficies urethrae interna magis rubra fuit, duo vasa lymphatica alba et tumida, materia puriformis per membranam urethrae internam praesertim in fossa

naviculari; sed minime ulcus et excoriationes nullae.

Rursus alii crediderunt, effluvium quidem pus esse, non tamen ex ulcere excretum uti Hunterus qui in sectione infantis superficiem pulmonum et pleurae massa dura, lymphae coagulabili simili oblitam, et in cavo pectoris magnam puris copiam vidit. Samuel Sharpius in libro suo: *Critical Inquiry* 1750, pus sine destructione partium solidarum existere posse contendit. Gatakerus anno 1754 tractatum de Gonorrhœa scripsit, in quo demonstravit effluvium puris non per ulcus effici.

Quoad indolem profluvi, liquorem profusum colore tinctum videmus et effectus adeo venenosí ut alii loco applicatus plerumque eundem morbum proferre possit; attamen non inferiori blennorrhœae in gradu, sed in altiori, de quo nomine blennorrhagiae urethralis virorum jam expōnere mihi liceat.

C A P U T II.

Aetiologia et Divisio.

Ante omnia ratio vero huius morbi est exponenda, quae quidem in phlogosi consistit. Phlogosis autem certus quidem gradus in membranis serosis et in glandulis semper cum secretione

aucta coniuncta est. Ita et in urethra, et in partium genitalium glandulis phlogosis inferiori gradu secretionem muci auctam inducit; altiori enim secretionem suppressit, quia magis in irritabilitate vehementer aucta sita est, neque tantam in reproductionem vim exserit. Phlogosis vero per quodlibet irritamentum, tam topice applicatum, quam ex organismo huc adductum efficitur v. c. per applicatum cereolum, miasma syphiliticum, nec minus per cachexias et dyscrasias.

Haec plogosis modo in glandulis Cowperi, modo in prostata, modo in glandulis urethrae minoribus, praesertim in fossa naviculari, modo in vesiculis tantum seminalibus, modo simul in omnibus his partibus invenitur, modo in glandulis balani sita est.

His prolati, variae morbi divisiones intelligi possunt.

Fabre ¹⁾ morbum dividit

1. secundum sedem.
2. secundum gradum inflammationis.
 - 1) in gonorrhoeam siccam.
 - 2) in Gonorrhoeam mitiorem, eandemque brevem.

¹⁾ *Vollständige Abhandlung der Erkenntniss und Kur der venerischen, Krankheiten, übersetzt von L. F. Schröder und D. I. Cl. Tode. Kopenhagen. 1777.*

3) in gonorrhœam diurnam, et per ulcus callosum vel fistulosum, et per relaxationem partium.

4) in Gonorrhœam spuriam, qua glandulae cutaneae in radice glandis correpetæ sunt.

Christophorus Girtannerus¹⁾ morbum dividit.

I. in leucorrhœam (quo nomine utitur) veram, qua effluvium ex urethra provenit. Quae est

1) aut leucorrhœa idiopathica, per irritamentum alienum excitata-

a. leucorrhœa urethralis syphilitica.

b. leucorrhœa urethralis per lepram et elephantiasin. Saeculo XV. species illa frequentior fuit ut ex edictis de lupanaribus elucessit. Capit. XV. libri III. Moses de tali specie etiam mentionem facit.

c. leucorrhœa urethralis arte facta v. c. per kali causticum solutum injectum²⁾ etc.

2) aut leucorrhœa sympathica, consensualis, ab irritamento remotioris partis adducta.

a. per dentitionem difficilem³⁾.

¹⁾ *Abhandlung über die venerische Krankheit.* Goettingen 1788.

²⁾ D. M. Swediaur. *Traité complet sur les symptômes, les effets, la nature et le traitement de maladies syphilit.* V. edition. Paris 1801. T. I. p. 77—88.

³⁾ Post exemptione dentis J. Hunter Nat. Hist. of Teeth. P. II. p. 126.

- b. per haemorrhoides ¹⁾
- c. per calculos vesicae urinariae.
- d. per abstinentiam, verisimiliter ex accumulatione seminis in vesiculis seminalibus, unde irritatio fit vehementior.
- e. per remedia saturnina.

3) aut leucorrhoea per metastasin.

- a. leucorrhoea arthritica. ²⁾
- b. leucorrhoea herpetica. ³⁾
- c. leucorrhoea ex usu variorum ciborum ac potulentorum v. c. cerevisiae haud sat satis fermentatae. ⁴⁾

4) aut leucorrhoea epidemica. ⁵⁾

II. in leucorrhœam spuriam, qua glandulae co-

¹⁾ Brendel. a. l.

G. Gottlb. *Oft erdinger Anleitung für das Landvolk in Absicht auf seine Gesundheit*, Zuerich 1773.

8. p. 471.

²⁾ Joh. Andreas Murray de materia arthritica ad verenda aberrante . Sect. I — II. Götting 1785. 4.

Hunter Essays and observat. Physic, and litt. of Edinburgh. Vol. III. p. 425.

³⁾ Vigorous Observations et remarques etc.

Montpellier 1780. 8.

⁴⁾ Idem l. c.

⁵⁾ Bassius. a. l.

I. B. Morgagni de sedibus et causis morborum etc. Venetiis 1761.

Noël Remarques sur les maladies venériennes. Dans le Journal de Medicine. T. LI. Janv, Iuin 1779. Paris, 8. p. 333.

ronae glandis correptae, secretionem mu-
ci auctam intra glandem et praeputium
inducunt.

Aug. Fried. Walch, ¹⁾ morbum dividit

1) in gonorrhœam syphiliticam, per infectio-
nem syphiliticam vel topicalam, vel per
luem.

a. gonorrhœa simplex, sine aliis sympto-
matibus ex inflammatione urethrae, sine
alio morbo.

b. gonorrhœa complicata, ulcerosa.

2) in gonorrhœam rheumaticam, arthriticam. ²⁾

3) in gonorrhœam sympatheticam per haemor-
rhoides praesertim vesicae, per calculos
vesicae urinariae, per vermes et inter-
dum per dentitionem.

4) in gonorrhœam herpeticam, scorbuticam,
leprosam. ³⁾

5) in gonorrhœam mechanicam, distortionis,
per contusionem, molimina in coitu, ma-
sturbationem.

¹⁾ *Ausführliche Darstellung des Ursprungs, der Er-
kenntniß, Heilung und Vorbauung der venerischen Krank-
heiten.* Jena 1811. p. 276.

²⁾ David Clerk *Observations on the arthritis anomala.*
London 1771. p. 439.

I. A. Murray l. c.

³⁾ v. Gordon lit. med. part. I, c. 22. p. 48. 57. de Pa-
ris Ausg. 1542.

- 6) in gonorrhoeam anomalam, qua effluvium ex oculis, auribus etc. provenit, etiam ex pulmonibus 1) effluvinm vero ex urethra cessat,
- 7) in gonorrhoeam, ab idiosyncrasia per usum Guajaci, piperis etc. etc. 2).

D. M. Swediaur 3) morbum dividit:

- 1) in blennorrhagiam syphiliticam
 - a. blennorrhagia simplex.
 - b. blennorrhagia complicata s. pyica.
- 2) in blennorrhagiam herpeticam, leprosam, scorbuticam etc.
- 3) in blennorrhagiam arthriticam.
- 4) in blennorrhagiam rheumaticam s. catarhalem.
- 5) in blennorrhagiam per idiosyncrasiam, et mechanicam.
- 6) in blennorrhagiam distortionis per coitum violentum, per masturbationem.
- 7) in blennorrhagiam sympatheticam per haemorrhoides, vermes.

1) Loeffler. *Beyträge zur Arznei- und Wundarzneikunst.*
Hecker a. a. O.
2) Dubreuil vom Tripper ohne venerisches Gift.
Manheim 1793.
3) l. c. p. 57.

8) in blennorrhagiam infantum e.g. per dentitionem.

Jam Swediaur discrimen adhibet inter nomina blennorrhagiae et blennorrhoeae. Blennorrhagia (*βλεννος* mucus *ραγη* ruptura, *ραγω*, *ρηγνυμι* rumperem) urethralis, significat morbum, quo mucus ex urethra quasi prorumpit, quo effluvium activum est, et morbus acutus nominandus. In blennorrhoea vero mucus effluit, effluvium passivum est, aut morbus chronicus nominandus; de qua blennorrhoea hic sermo esse non potest.

Iam vero nomen blennorrhagiae solummodo symptoma morbi indicat, minime morbi naturam. Inflammatio autem morbi natura est, qua re *urethritis* rectius nominatur. Cum vero inflammatio plerumque non tanta sit, et plerumque symptoma morborum nomina morbis praebant, morbum etiam blennorrhagiam nominabo, attamen aliam divisionem proponam.

Blennorrhagia est vel vera, qua effluvium ex urethra, vel spuria, qua effluvium ex glandulis coronae glandis provenit, quae spuria huc non pertinet.

Blennorrhagia, seu muci fluxus inflammatorius vel activus variis ex causis oritur,

I) ut blennorrhagia cum materie specifica quales sunt.

a. blennorrhagia dyscrasica; blennorrhagia rheumatica s. catarrhalis, arthritica, scorbutica etc.

b. blennorrhagia miasmatica; blennorrhagia syphilitica, herpetica, leprosa, per elephantiasin.

2) blennorrhagia cum materie non specifica ut

a. blennorrhagia idiopathica; blennorrhagia mechanica e. g. cereolis, remediis saturinis etc. urethrae applicatis effecta.

blennorrhagia distortionis per coitum violentum etc. blennorrhagia ex abstinentia ¹⁾.

b. blennorrhagia sympathica; blennorrhagia epidemica, a dentitione, per Quajacum, piper., cerevisiam non fermentatam etc. per haemorrhoides, calculos vesicae.

De omnibus speciebus fusius disputare, longum est, propterea de syphilitica omnium facile frequentissima curatius exponere tentabo. Species blennorrhagiae syphiliticae iterum dividitur in simplicem et complicatam, quo magis ceteris blennorrhagiae speciebus est distinguenda.

¹⁾ Christoph Girtanner l. c. p. 97.

CAPUT III.

Diagnosis et Prognosis.

Omnis blennorrhagia urethralis ex effluvio muci aucto et perverso ex urethra, phlogosis effectu cognoscitur. In blennorrhagia spuria seu balani effluvium non ex urethra provenit et reliqua symptomata desunt ut in blennorrhoea benigna seu passiva. In catarrho vesicae vel blennorrhoea pyica mucus solummodo in mingendo effluit. Ceterae blennorrhagiae species solummodo ex anamnesi vel ex complicatione iudicantur; si e. g. arthritide laborans cum remissione dolorum blennorrhagia urethrali invaditur, tunc blennorrhagia arthritica caeteris paribus censenda, si vero lues adest, vel homo sanus, coitu celebrato cum puella impura, blennorrhagiam laborat, tunc blennorrhagia syphilitica censenda; quamvis blennorrhagia herpetica, leprosa, arthritica etc. etiam per coitum transfertur, et fluor albus scrofulosus benignus ut quaeque acris secretio muci in vagina per scirrum uteri, vel cancerem vel tempore menstruorum eodem modo inficit.

Effluvium in omni blennorrhagia eodem colore esse potest, modo flavum modo prasinum et subviride, modo subfuscum etc. unde patet, nullas ex varietate coloris blennorrhagiae

species discernendas esse¹⁾). Etiam sine libidine mucus semper effluit, nisi inflammatione auctiori retineatur.

Prognosis bona est, si symptomata nec adeo violenta sunt, necque longius perseverant. Praesertim in blennorrhagia syphilitica prognosis bona est, si morbus minime complicatus est, neque cum aliis symptomatibus syphiliticis nec cum morbo, sique aegrotus antea sanus fuit non praevalente vel reproductione, vel irritabilitate, vel sensibilitate; hic videtur secretio muci aucta inflammationem imminuere tandem bonum ad finem perducere, quin etiam miasma in blennorrhagia mitigare atque auferre.

Prognosis mala est, si inflammatio aucta diutius persistit, praesertim in corpore sanguineo vel irritabili; si complicationes adsunt; si inflammatio arteriosa in phlegmonosam transit; si effluvium subito imminuitur vel supprimitur. Hic ipsa gangraena partium genitalium oriri potest.

Blennorrhagia non syphilitica diutius plerumque durat, praesertim pertinacissima est, cum blennorrhagia syphilitica complicata.

Regimine diaetetico rite instituto et obser-

¹⁾ v. Wilkinson in d. a, Schr. S. 15. seq.

vato plerumque pragnosis bona est habenda, contra dubia semper, nisi mala.

Quoniam vero diagnosis singularum blennorrhagiae specierum saepius non satis certa est, et valde propagari possunt, semper coitus est prohibendus, sed minime quaecunque blennorrhagia continuo syphilitica est habenda, nisi ex miasmate syphilitico ortam esse certiores facti simus, ne pacem domesticam turbemus.

C A P U T IV.

Causa remota et proxima infectionis syphiliticae in blennorrhagia.

Omnis blennorrhagia, ut supra dictum phlogosi originem suam debet, eaque ipsa ab irritamento aliquo gignitur; quod irritamentum plerumque metastasis aliqua, vel applicatio localis miasmatis alicuius plerumque syphilitici est. Quum vero de tali praesertim blennorrhagia agamus, quae ex applicatione miasmatis syphilitici locali provenit, quaeritur primum, quidnam virus blennorrhagiam syphiliticam producat, dein quomodo in urethram agat? *Ellisius* ¹⁾ *Todius* ²⁾ *Balfourus*

¹⁾ William Ellis an Essay on the cure of venereal Gonorrhoea in a new method. London 1771.

²⁾ Ioh. Cl. Tode. Vom Tripper in Ansehung seiner Natur und Geschichte. Kopenhagen, 1774.

Duncanus ¹⁾ *Bellius* ²⁾ blennorrhagiam non ex miasmate syphilitico sed proprio oriri existimaverunt ³⁾.

Certe omnis blennorrhagia syphiliticae valde similis, praesertim si simplex blennorrhagia syphilitica est, ubi eandem formam exhibet, quasi per aliud irritamentum inducta. Error autem facile ea diagnosi incerta nascitur. Haec tantum blennorrhagia recte syphilitica nominatur, quae a miasmate syphilitico excitatur. Blennorrhagia syphilitica est topicum syphilidis symptomata, quia miasma syphiliticum in superficiem muciparam pervenit. Nam varietatem topicorum syphilis morborum affert pars affecta. Si miasma syphiliticum parti epithelio vestitae applicatur, ulcera syphilitica oriuntur.

Et satis jam demonstratum est, miasma syphiliticum unam eandemque servare indolem, quia lues universalis aliaque symptomata syphili-

1) Andrew Duncan. Medical cases, selected from the records of the public Dispensary at Edinburgh. Edinburgh 1778. S. 278.

2) Benjamin Bell. a treatise on the theroy and management of ulcers, with a dissertation on white swellings of the joints. Edinbgh. 1773.

3) v. Schlegel Versuch einer Geschichte des Streits über die Identität des Venus und Trippergifts. Iena 1796.

tica topica ex blennorrhagia syphilitica gignuntur, quod observationes virorum Clarissimorum Cockburni ¹⁾; Hunteri ²⁾; Swediaurii ³⁾; Bellii ⁴⁾; Andrée ⁵⁾; Harrison, Walck ⁶⁾; Goeritz ⁷⁾; optime docent.

Secundum quantitatem vero miasma syphiliticum dilutum, minus concentratum, effoetum est, unde minus organismum male habet; quod magis etiam in viro canceris accidit. Unde fit, ut tam raro in blennorrhagia syphilitica ulcera, ne in glande quidem vel praeputio (quae partes tamen in coitu impuro prius et longissime miasmati patent), vel alia symptomata syphilidis observentur, ut blennorrhagia interdum in lue universalis incipiente, saepe vero in lue iam ad finem perducta inveniatur.

Quodsi nunc blennorrhagia syphilitica urethralis ex miasmate syphilitico gignitur, quaeri-

¹⁾ W. Cockburn, de sympt. natura, causa et curatione gonorrhoeae. Leiden 1717.

²⁾ John Hunter Abhandlung der venerischen Krankheiten. Leipzig 1787.

³⁾ l. c. p. 68.

⁴⁾ l. c. a. a. O.

⁵⁾ I. André, de gonorrhœa. Lipsiae 1779 — 81. in annotationibus interpretis p. 21.

⁶⁾ l. c. p. 160.

⁷⁾ Ioh. Ad. Goeritz de haemorrhag. penis. In ephe-
meri h. c. Vol. III. Norib. 1733. obs. 25. p. 80

tur, quomodo in coitu virus blennorrhagicum in urethram virorum perveniat?

Opinio, qua urethra post ejaculationem seminis, humores ex vagina attrahit, quasi tubulus tenuissimus, falsa est, quin lumen urethrae certe non tenuissimum est. Et si in ejaculatione seminis etiam per contractionem urethrae miasmate ad orificium cutaneum delato in urethram trahitur et ad lacunas Morgagni ducatur (qualem Weikardus ¹⁾ observationem enarrat, qua in ejaculatione manu effecta pene in lac tepidum immerso postea in mingendo guttae aliquot lactis profluxerunt); intelligi tamen non potest, quomodo miasma ad lacunas perveniat, si semen nondum ejaculatum est. Opinio, qua vasa resorbentia miasma blennorrhagicum recipiunt idque ad glandulas Morgagni sub frenulo transferunt, quam Cruykschankius profitetur, minime vera est, nam vasa resorbentia ex superficie glandis in glandulas inguinales, non vero in fossam navicularem transeunt.

Opinio, qua in corrugato pene post ejaculationem seminis aliquot guttae muci ex vagina in orificium urethrae perveniunt, secundum Girtan-

¹⁾ Observationes medic p. 129.

nerum ¹⁾ perinde falsa; quia raro penis in vagina usque ad collapsum remanet.

Neque vera est, opinio, qua non multum seminis in orificio urethrae remanet et se immiscet muco vaginae, dein ad fossam navicularem pervenit, ut Nisbetus ²⁾ contendit.

Verisimilior est opinio, qua miasma glandem et labia urethrae inflammat et irritat, et inflammatio ab his partibus ad fossam navicularem propagatur ubi mox maxime exacerbatur propter nimiam receptivitatem partis, secundum Hunterum. ³⁾ Hoc modo inflammatio saepe usque ad collum vesicae urinariae, imo ad vesicam se extendit, quo tamen miasma pervenire non potest. Hic semper blennorrhagia sympathica est.

Certe urethra in ejaculatione seminis anterius et retrorsum movetur quo materia vix fluida in orificio urethrae longius in urethram promoveri potest, ut Walchius ⁴⁾ dicit, Ejaculatione autem nondum facta, quod saepe e. g. in ebriis accidit, per causem praedisponentem ortam et sympathicam blennorrhagiam esse credo.

¹⁾ l. c. p. 113.

²⁾ William Nisbet. *Abhandlung über die Lustseuche* p. 39.

³⁾ l. c. IX Abschnitt p. 85.

⁴⁾ l. c. p. 275.

Causae vero praedisponentes sunt magna urethrae irritabilitas et sensibilitas.

C A P U T V.

S y m p t o m a t o l o g i a .

Morbi initium ab ipso infectionis in coitu momento reputandum est.

Periodus morbi prima.

Secundo vel tertio die, raro serius, aeger ad radicem penis dolorem proprium sentit, titillationem in glande, praeputio, orificio urethrae et per urethram haud insuavem, cum stimulo coeundi. Titillatio se extendit usque ad regionem inguinalem, et testes. Pollutiones non solum noctu fiunt sed quandoque etiam interdiu. A primo morbi initio interdum dolores acuti ardentes intercurrunt.

Quarto die plerumque titillatio dolorifica evadit, et pruritus in fossa naviculari urethrae fixus est. Aeger etiamnum sine doloribus, cum pruritu urinam reddit. Guttae muci albi in orificio urethrae prostillant: praesertim his in aegrotantibus, qui saepius blennorrhagia laboraverunt, muci effluvium, eiusdemque valde colorati, morbi primum est symptoma. Et nisi constitutio indivi-

dualis primam periodum vel longiorem vel breviorem reddit, aeger haud ultra III. vel IV. diem has molestias patitur.

Periodus secunda.

Nunc symptomata crescunt. Pruritus in dolorem transit acutum, ardentem. Orificium urethrae cutaneum inflammatum rubescit, sensibilius fit, intumescit et labia orificii patent.

Praeputium et glans sensibilia ad tactu dolent. Nunc leni pressione ex urethra serum vix flavum linteum paululum tingens provenit. Interdum dolor etiam per aliquod tempus sentitur, antiquam profluviū incipit.

Impulsus mingendi adest, urina guttatim defluit canali urethrae angustiori facto, et in urethra dolores acutos et ardentes excitat, praesertim in primis et ultimis urinae guttis; qui dolor diutius adhuc in loco affecto persistit. Penis praesertim glans tumidior est, et in statu dimidiae erectionis. Glans quasi pellucida, praesertim in orificio urethrae, ubi epidermis tensa, simillima ceraso maturo rubro, quasi inflammata videtur. Interdum orificium urethrae crudescit ipsaque glandis superficies fere cruda est, quod eam magis sensibilem reddit et exsudationem materiae

puriformis inducit.¹⁾ Effluvium muci purulentum ex flavo subriride vel subvuscum fit et copia augescit, vel non nimis copiosum acritate sua cetera symptomata vehementiora reddit. Erectiones frequentes noctu praesertim dolores afferunt, maxime autem decubita supino increbrescunt rares in vigilantibus crebriores in dormientibus adsunt praesertim tempore matutino, interdum cum pollutionibus.

Si coitum aeger exercet in ejaculatione seminis acutum sentit dolorem; semen sanguineum interdam ejaculatur unde stimatosis vel haemorrhagia penis vix mitiganda sequi potest.

Periodus Tertia.

Si symptomata illa per II.-III rarius per VII.-VIII hebdomad. perseverarunt, mitescunt. Dolor in mingendo, impulsus mingendi creber cum molestiis consensualibus sensim sensimque desinunt, erectiones minus dolent. Effluvium immunitum, crassius, subflavum fila inter digitos trahit tandemque albescens cum inflammationis signis cessat. Interdum etiam solum effluvium remanet, ubi blennorrhagia in blennorrhoeam nunc secundariam transit.

¹⁾ I. Hunter l. c. p. 73.

Haec vero effigies blennorrhagiae simplicis est qua inflammatio superficiaria tantum est nec ultra lacunis Morgagnii propagatur, qualem specificam Hunterus ¹⁾ nominat.

Blennorrhagia autem pejorem interdum decursum sumit, vel ob constitutionem individualem vel diaetam vitiosas et noxiam medendi rationem, vel et malignitatem miasmatis quod eo certius evenit quo prius symptomata post coitum apparuere. Hic nempe inflammatio aucta longius se extendet, penetrat in corpus cavernosum urethrae, ubi erectiones maxime dolent, quia frenulum glandis deorsum trahitur penis vero per erectionem sursum. Ita penis arcuatur, quod chorda veneris, seu gonorrhoea chordata a Gallis chaude pisse chordée nominatur. Nunc erectiones in priapismum transire possunt, priapismus in gangraenam ²⁾). In chorda saepe vas sanguiferum rumpitur, unde haemorrhagia, plerumque tamen benigna, oritur.

Mucus purulentus interdum striis sanguineis notatus vel sanguis ex urethrae effluit, quae symptomata exulcerationis urethrae sunt ubi infectio universalis magis timenda est.

¹⁾ I. c. p. 85.

²⁾ I. Hunter I. c. p. 77. — exemplum in cane.

Interdum inflammatio adeo aucta est, ut mucus non secernatur, perinde ut saepe in catarrho pulmonum et narium mucus nullus effluere potest; unde talem gonorrhoeam varii auctores siccam nominant.

Inflammatio saepe phimosis et paraphimosis inducit, qua dolor in mingendo acerrimus fit, et urina per impulsu[m] maximum guttatum quasi plumbum fusum per urethram emanat. Tuberula minora interdum in urethra apparent, quae glandulae adeo tumidae sunt ut externe sentiantur. Ductus excretorii glandularum Morgagni obturati proprio muco extenduntur, unde inflammatio et exulceratio nasci potest.

Alia symptomata consensualia non desunt. Inflammatio et irritatio per totum urethrae canalem propagantur, ardor et molestia premens in perinaeo tensiones in cruribus pedibusque, pruritus in collo vesicae urinariae et in orificio ani, unde tenemos oritur, adesse possunt. Ita tensio in funiculo spermatico, bubones; testiculi praesertim attractu sensibiles intumescunt, ut et vasa lymphatica glandis et penis.

Saepe febris modo levior modo gravior, praesertim tempore vespertino recrudescens, (ut febris

catarrhalis) adest. Glandulae urethrae adeo intumescent, ut aeger vix guttatum aut radio immuno diviso mingat; etiam per mucum urina retineri potest aut retentio urinae est spastica ¹⁾), aut per inflammationem colli vesicae aut per inflammationem et intumescentiam prostatae vel partium vicinarum urina retinetur. Tumores glandularum Cowperi viam urinae novam formant dum vel interne vel externe se aperiunt ita et fistula perinæi oritur. Si effluvium muci desiit vel imminutum est, saepe tumorem testiculi auctam et dolentem, rarius vero ophthalmiam, oculum mox destruentem, iuvenimus.

Ipse bulbus et vesica urinaria corripi possunt, ubi aeger saepissime mingere debet cum doloribus intolerabilibus, ut in lithiasi. Hunterus ²⁾ ex blennorrhagia incontinentiam urinae vidit.

Ureteres, renes, etiam periaeum per sympathiam patiuntur, quin adeo peritonaeum inflammati potest. ³⁾

¹⁾ I. Hunter l. c. p. 86. spasmum vidit, ubi urina singulis modo pulsibus mittebatur.

²⁾ Idem l. c. p. 90.

³⁾ Idem l. c. p. 90.

Boerhaaviruſ^s) quum de gradu blennorrhagiae disserit. primam speciem, dicit, sedem habere in Morgagni glandulis; alteram eodemque deteriorem in ductibus Cowperi, tertiam denuo pejorem ad insertionem ductuum seminalium. Quartam vix sanabilem et in phagedaenicas fere fistulas terminandam quando bulbus urethrae circa vésicam afficitur."

Raro lues universalis blennorrhagiam syphiliticam sequitur, sed semper lues timenda est si excoriationes in urethra sint vel sanguis, signum vulneris recentis, profluit; rarior etiam mors est per gangraenam.

Plerumque, ut jam dictum est, symptomata mitiora fiunt, et nisi blennorrhœa secundaria sequitur, effluvium desinit. Interdum vero inflammatio evanescit, sed ulcus in urethra remanet, quod effluvium purulentum diuturnum afferit (blennorrhœa ulcerosa seu pyica, seu pyuria). Interdum induratio, vel callus, vel excrescentia in urethra relinquitur, nec minus inflammatio et induratio testituli, glandularum urethrae, inflammatio aut scirrus prostatæ cum retentione urinae dolorifica quam valde periculosam esse constat. In-

¹⁾ Hermanni Boerhaave praelectiones academicae. Götting MDCCXLIII. T. V. pars I. p. 390.

terdum surditas vel ophthalmia violenta seu syphilitica remanere potest.

Sed sublata inflammatione (per I — II mensēs plerumque), sublatis doloribus tam pruritus quam ardoris, doloribus et molestiis in mingendo, tollitur caeteris paribus contagium.

De complicationibus blennorrhagiae syphiliticae urethralis virorum, nihil adiicio, ne longus sim.

C A P U T VI.

R a t i o m e d e n d i.

I. Periodi primae curatio, plerumque prophylactica.

Certissimum remedium ne in coitu miasma syphiliticum propagetur est usus superindumenti nomine Condom (ab inventore Londonensi) Parisiis redingotte angloise dicti. Hac praecautione nunquam infectio fieri potest quia penis non nudus in vaginam penetrat. Sin autem vir coitum rite celebraverit, et symptomata prima blennorrhagiae in periodo morbi prima sentit; medicus videat utrum praeter symptomata illa excoriationes vel ulcus syphiliticum, vel blennorrhagia ex lue universalis syphilitica (ubi antisyphilitica remedia jam valde vehementiam morbi

restinguunt) adsit, nec ne; quare et mulierem cum qua coit, medicus exploret necesse est. Iam si intelligit, symptomata ex miasmate blennorrhagico syphilitico orta esse, etiam in primo infectionis stadio remediis adstringentibus actionem morbosam deprimere, miasma destruere et eruptionem morbi impedire potest.

Remedia talia sunt: aqua calc., solutio lap. caust gr. VI. in aqua destil. ʒ V. cum mucilag. cydonior ʒj ¹⁾ injicienda. Similiter injicitur solutio hydragyr. mur. corros. cum aqua saturnina magis minusve diluta.

Lotiones frigidae, saepius petitae, tam penis quam reliquarum partium genitalium, regionis lumbaris et perinaei valde prosunt. Diaeta conveniens semper est praescribenda; neque aeger nisi necesse est genitalia adtingat, neque coitum non celebret, nullo modo refrigeretur, non curru vehatur, nec equitet nec saltet; quam maximam quietem teneat, sibi suspensorium induat et abstineat ab omnibus spirituosis et aromaticis. Potiuncula demus mucilaginosam, ex aqua cum pane, decoctum hordei vel avenae, ex aqua cum lacte.

Ab injectionibus autem statim est interdicendus, si effluvium vel symptomata alia blennorrhagico

¹⁾ Walch l. c. p. 285.

giae, praesertim inflammatio, magis se manifestaverint; perinde ut ab usu aquae frigidae, quippe quibus remediis iam effluvium supprimi facillimeque metastasin efficere posset.¹⁾

Injectiones valde irritantes semper nocent, si etiam certo tempore applicentur, quia semper tamen inflammationem augent.

Periodi secundae curatio.

Si nunc per curam prophylacticam blennorrhagia non retineatur, contra vero symptomata magis invalescant:

Indic. I., est adhibenda, qua omnes noxae, quae urethrae inflammationem vel sustentare vel augere possunt, maxima cura evitantur vel removentur. Huc pertinet

- a) Cura, ne effluvium impediatur.
- b) ut effluvium partes inflammatas quam minime tangat. Quod consequimur infusione olei in urethram priusquam mingitur, et dolores mitiores sunt, neque minus si pene in lac tepidum immerso reddatur urina.
- c) ut acrimonia urinae imminuatur. Per mucilaginosa copiose sumta, praesertim noctu, ubi urina acerrima fit. Cave autem ne mucilagino-

¹⁾ vid. Weikard med. prakt. Handbuch etc. p. 418.

sa, nimis copiose sumantur, unde irritatio fit accessoria.

d) ut aeger pressiones quasque contusiones et et trituram evitet. Non utatur itaque braccis arctis, omnes motiones vehementiores et ad tactum localem. Praesertim autem aeger suspensorio uti debet, quo periculum intumescentiae testis imminuitur, quandoquidem ipsum penis pondus impedit pendentis inflammationem auget. Quare in incolis montium Scotiae, qui braccis nullis, ex parte tamen suspensorii locum tenentibus, induiti sunt, blenorrhagia tam maligna est.¹⁾

e) ut irritamenta tam physica, quam psychica evitet. Nam per irritamentum psychicum erectione inducta, inflammatio augetur, et quam noxious coitus sit iam iudicatum est, praeterquam quod tanta temeritas et immoralitas est.

f) ut aeger saepius urinam reddat, praesertim noctu. Vesica extensa efficit irritamentum accessorium, erectiones et pollutiones. Sed et intempestive mingere nocet, quare nocent diuretica fortiora, quae tumorem testiculi, ischuriam aliquosque majoris inflammationis effectus etiam

ex-

1) vid. G. Renny A treatise on the venereal disease. London 1785. 8.

excoriationes ex acrimoniis urin aegignunt. Diuretica mitiora interdum, prodesse possunt, de quo casu postea disseram.

g) ne alvus obstructa sit. Aeger quotidie semel desideat, nisi sponte, ope clysmatis aperientis aut laxantium blandorum. Sed drastica non dentur, nam inflammatione aucta subito muci effluvium cessare potest.

Brownianismus videtur drastica probare, attamen multis in individuis stheniam drastica augent idéoque nocent.

Clysmata ex furfure vel infuso **chamomillae** sufficient.

h) Ne aeger cubitum supinum noctu teneat, quo pollutiones et evectiones maxime excitantur. In coena sit maxime continens, quam etiam tempestive sumat ne ventre repleto in lectum decumbat. Antea semper mingeat, cubile sit subfrigidum non ex plumis paratum et stragula vestis quam levissima. De remediis contra erectiones infra, quae cum his cautelis eo magis indicata sunt, quum non solum inflammationem erectiones augent, ipsaeque maxime dolent, sed et somnum aegri turbant.

i) ut summa semper mundicie utatur, né mucus profusus glandi vel praeputio adhaereat, quo et phimosis et paraphimosis et, si exco-

riatio jam adfuit, ulcus syphilitum cavetur. Hunc ad finem saepissime inducitur glans linteo mundo vetere quam tenuissimo. Balnea etiam utilissima topica ex lacte v. aqua tepida, praesertim si aeger urinam reddidit. Et in balneo mingere potest, quo dolores mitigentur. Balnea ex aqua frigida secundum Reichium ¹⁾ sunt vituperanda, quia inflammationem augent, et effluvium supprimere possunt, sed minus tamen quam balnea vituperanda sunt calida, praesertim altiori inflammationis in gradu.

Si phimosis incipit lac tepidum intra praeputium et glandem est injiciendum.

k) ut partes genitales nec nimis frigide nec nimis calide habeantur; ne vel inflamatio augeatur, vel effluvium supprimatur. Praesertim si desiderat aeger in mingendo refrigeratis est timenda, quod ideo tempore hiemali semper in hypocausto tepido fiat.

Iudic. II. secundum proprietates aegri et constitutionem epidemicam est instituenda.

I- Aeger vel robustus, sanguineus cum diathesi inflammatoria et irritabilitate praevalente esse potest. Hic invenitur *inflammatio irritabilis*, quae est:

¹⁾ *Hufeland Journal*, 1811. Stück II. p. 27

a) inflammatio irritabilis in minori gradu.
Quae semper in aegro ceteroquin sano primis
morbi diebus adest.

Medicus nil apud agat, quam in iudic. I, est
institutum; Hunterus pilulas dat ex pane¹⁾. Re-
media antiphlogistica sunt supervacua; attamen di-
aeta antiphlogistica salutaris est. In obstructione
alvi exhibeamus medicamentum laxans ex manna
vel pulpa tamarindorum cum crem. Tartari.

Drastica, quae Sydenhamus²⁾ Boerhaavius³⁾
cum discipulis suis, praesertim Swietenio⁴⁾ adhi-
benda suaserunt, qui crudeliter dabat

pulv. rad. Ialapp. 3j.

Calomelanos 3j.

pro dosi

vel Scammonii Gr. XII.

pulv. rad. Ialapp. Gr. XVIII.

Calomelanos XXV.

pro dosi

solummodo ex theoria sunt excusanda, quia cau-
sam miasmatis syphilitici in adipe putabant. Et

¹⁾ l. c. p. 116.

²⁾ Thomas Sydenham. Epistola de luis, venereae his-
toria et curatione. Londini 1680. 8.

³⁾ Herm. Boerhaave. Tractatio medico practica de lue
venerea. Lugd. Bat. 1751. 8.

⁴⁾ Gerh. van Swieten. Commentarii in H. Baerhaave
aphorismos de cognos. etc. cur. morb. Vol. V. Lugd. Batav.
1772. 4.

quamvis Sydenhamus dicat, curationis „omnem cardinem in remediis catharticis verti” facillime tamen intelligi potest, quantum drastica noceant; quod et experientia virorum Fordyce ¹⁾, Stoll ²⁾ (qui ex usu drasticorum febrem gravem cum deliriis et mortem vidi) Cullen ³⁾ manifestavit. Et rheum, secundum Girtannerum ⁴⁾, jalappa folia sennae pari modo nocent, ut diuretica remedia. Ipsa solutio roob juniperi $\frac{3}{j}$ in aqua destl. $\frac{3}{j}$ VIII, secundum Heckerum supervacua est.

Injectiones tunt inutiles, nisi noxiae.

Tali modo huic inflammationis gradui succurritur, qui non longior X dierum plerumque inventur.

b) Inflammatio irritabitis altiori in gradu. Dolores acuti, magna inflammationis extensio, dolores consensuales partium vicinarum, febris cum charactere synochico adsunt. Quare omnino regimen antiphlogisticum est instituendum. Phlebotomia in brachio, sanguisuga peni

1) Sir William Fordice a review of the ven. disesease and its remedies. London 1768. 8.

2) Maximilian Stoll ratio medendi in nosocomio pratico Vindob. T. I. Viennae Austr. 1777. 8.

3) William Cullen. *Anfangsgründe der prakt. Arzneiwissens.* Leipz. 1784. T. IV. p. 218

4) l. c. p. 127.

vel perinaco applicata prosunt. Cataplaスマta emollientia et fomentationes ex seminibus lini, floribus malvae, chamomillae, verbasci, hyosci-ami eo lacte vel oleo lini circa genitalia usque-dum inflammatio mitigetur.

Diaeta antiphlogistica strictissime est obser-vanda, et laxantia etiam antiphlogistica dare pos-sumus.

2. Aeger est phlegmaticus, cachecticus praeva-lente reproductione. Hic inflammatio lymphati-ca, characteris serosi oedematoso invenitur; quae etiam obtinet, si blennorrhagia jam per aliquod tempus adfuit, maxime si constitutio est atonica, phlegmatica.

Symptomata apparent mitiora, dolores mino-res, effluvium vero copiosius et malum longin-quius; tumor lymphaticus partium genitalium, unde phimosis. Blennorrhoea secundaria facilli-me remanet.

Hic antiphlogistica nocent, sed juvant reme-dia, quae irritabilitatem arteriarum tollunt et ma-jorem actionem vasorum lymphaticorum coercent. Diaeta nutriens et irritans, quae gradatim est in-stituenda si antea in inflammatione irritabili an-tiphlogistica fuit.

Diuretica, sed circumspecte tantum sunt adhiben-da, et in mitiori quidem morbi gradu roob juniperi,

aqua petroselini cum spir. nitr. dulc., tinct. Be-
suardi. In summo morbi gradu etiam remediis
balsamicis utimur, ut balsam. peruvian:

Rx spir. nitr. aethr. 3j

ol junip. 3jj

bals. peruv. 3j

MDS. gutt. XXX per tres horas,

Terebinthina et praesertim balsam. Copaivae.

~~870~~ Injectiones irritant, nisi dexterime fiant.

Multi medici operam dederunt, inveniendo in-
strumento, quod urethram haud adeo afficeret. Ita
Clossius ¹⁾ medicamenta ope penicilli applicat.
Hahnemannus ²⁾ usum siphonis laudat. Hecke-
rus ³⁾ in cereolis solubilibus medicamenta appli-
cari vult.

Applicatio medicaminis ex penicillo ibi so-
lum modo praestat, ubi ulcus orificio urethrae pro-
pius situm est, sed si medicamen ad lacunas per-
venire debet nullum quod inde redundet com-
modum intelligi potest,

Sipho Hahnemanni supervacuus est, quia
fluidum in uno crure non tanta vi premit, ut in
altero fluidum in urethram inflamatam per ve-

1) a. l. S. 91.

2) a. l. figura in fronte libri 8, §. 59. p. 27.

3) a. l. p. 235.

nit; quodsi etiam esset, copia tamen medicaminis injiciendiullo modo definiri potest. Cereoli valde irritant.

Quoniam vero nec balneis lotionibusve fluidum in urethram pervenit, certe injectio ex syringe (clystere oriculario) methodus est optima ad medicamen applicandum. Syrinx in apice fistulam parvam cuneiformem habeat, quae accurate orificio cutaneo urethrae sit accomodata, Nulla fissura in syringe sit, ne aer penetreret, pistillum nec nimis tenue nec minus crassum. Ebur est syringis materia optima.

Antequam iniicitur, aeger mingere debet, tunc manu sinistra penem arripiat, tollat et ubi scrotum incipit urethram comprimat. Manu dextra syringem applicet, et fluidum contentum modicantuni motione digitij indicis sensim sensimque aucta injiciat.

Si fluidum in urethram pervenit, penis momento adhuc sit sublatus ne injectus liquor statim effluat. Bis terve statim injectio repetatur et quotidie quater et saepius. Fluidum ad injectiones semper sit tepidum.

Jujicitur autem secundum Richterum *)

*) *Specielle Therapie B. V. p. 409.*

Kali carbon sicci ʒʒ

Solve in aqua destil. ʒ VI.

Cola per Chartam.

S. M. cum aqua tepid.

quod remedio dicit, celeriter et sine damno secretionem muci auctam et perversam tollere.

Hydrargyr. mur. corros. circumspete tantum injiciatur aqua calc. cum gummi arabica. Solutio lap. caustici. Quibus in medicamentis semper opium sit, si inflammatio magna cum sensibilitate est.

Attamen injectiones omnes in blennorrhoea magis sunt indicatae ibique magis adstringentes esse possunt.

3. Aeger irritabilis est quaevalente sensititate, debilitato systemate nervoso v. c. per onaniam. Hic inflammatio cum sensititate aucta est, nervosa, et quanquam superficiaria erysipelatosa, longe tam effusa in partes vicinas cum doloribus et symptomatibus spasticis.

Si stadium acutum inflammationis praeterit saepius character ille adest.

Post mictionem per longum tempus sensatio ingrata in urethra et collo vesicae sentitur, impulsus creber urinam et alvum mittendi, erectiones frequentes et valde dolorificae.

Remedia interna sunt; Camphora vel in so-

lutione vel cum opio. Opium in solutione. Ad
erectiones mitigandas

Rx Camphor. rasaे

Opii puriss.

Merc. dulc.

pulv. rad. Ipecacuanh. aa gr.j

Sacch. alb. gr. XII.

MDS. priusquam se somno

aegrotus dat cum thea tepida sumendum. aqua
laurocerasi, quae etiam injicitur.

Ad iniectiones remedia antispasmodica sunt
eligeuda. Extractum opii cum aqua destil. et muci-
lag. cydonior. Saturnina solummodo addimus, si
blennorrhagia sympathica, jam diu duravit.

Interea si character nervosus praeterit, cura
injectionibus kali caustici finiatur.

Si tamen inflammatio aucta in partes vicinas
se propagat et reproductio incipit deminui, de-
mus chinam cum opio. In casibus pertinacissimis
vesicatoria cum camphora ad crura vel ad os sa-
crum prosunt ¹⁾

Ita agemus, usque donec inflammatio suos
ad limites restricta sit.

Judic. III. occurrit malis accessoriis, quae
sunt.

¹⁾ Hecker l. c. p. 251.

1) **Testiculus inflammatuſ.** Qui quidem facilime inflammatur, si inflammatio acutissima ad verum montanum propagatur. In casibus levioribus epididymis sola dolet, est inflammata et intumescit. Plerumque tumor ceteris paribus solvitur nono die, quo saepe blennorrhagia, quae cum tumore suppressa aut imminuta est. Raro in suppurationem testiculus transit, rarius etiam in gangraenam. Et induratio testis sequi potest, sed nec maligna nec diurna; etiam scirrus, sartocele, ulcus syphiliticum (?) vel permanens vel cum blennorrhagia nona discedens. Interdum sequitur atrophia testis, cirsoselle scrotalis aut vasorum seminalium,

Cura in diathesi phlegmonosa: regimen anti-phlogisticum, cataplasma et vapores emollientes; in inflammatione lymphatica cum aqua saturnina vel vino, vapores et aromatici et aceti, emplastrum hyosc., inunctio unguent Neapol. in cruribus, interne mercur. dulc.; in diathesi sensibili: fomentationes aromaticae, clysmata antispastica, interne camphora, Opium, pulvis Doveri.

Si in tumore funiculi spermatici incarceratio oritur, ita agemus, ut in hernia. XXX

Suppuratio testis difficillime ab hydrocele tunicae vaginalis et propriae testiculi distingui potest, tumore autem maturo pus erumpit.

Hernia humoralis, induratio vel epididymidis vel testiculi, post inflammationem solutam plerumque non dolet et nil nocet. Contra autem tumor magnus, inaequalis, tensus nec valde dolorificus varia medicamenta requirit: rationem mendendi per nauseam, vel emetica semel hisve per hebdomadas exhibenda, inunctiones liniment. ammoniat. etiam cum ungt. mercur., aa, cum ungt. camphorato vel

Rx oleum CC foetid.

spir. CC aa 3jj

ungt mercur 3*B*

MDS. ad inungendum.

suspensorium sit pelle repletum ex aluta consecutum (?)

Et electricitas est applicata, quae vero facililime scirrum inducit. Cataplasma ex radice Mandragorae, hb. hysc. et cicut aa, empl ex hyosc, cicut et hydrarg. aa, inunctiones ex oleo amygdal. *3j* tint. opii *3j* bis quotidie, catapl. cum opio, etc. prosunt. Interdum et insitio blennorrhagiae ope cereolorum irritantium aut unguenti mercur. facta, injectio in urethram ex Tart stibiati gr. *jβ* cum aquae *3 VIII* utiles sunt.

Semper videamus, ne aliae complicationes, vel haemorrhoides vel morbus scrofulosus vel arthritis etc. adsint.

2) Blennorrhagia chordata. Si ex inflammatione oritur, antiphlogistica sunt indicata ut: missio sanguinis, postea cataplasma emollientia ad perinaeum et circa penem. Si corda sit spastica demus opium, injectiones ut in inflammatione irritabili, inunctiones linimenti volatile cum camphora et opio.

Haemorrhagia, hic benigna, mox per se desinit; si vero vires exhauriat urethra sub loco ubi sanguis defluit moderate comprimitur, vel solutio Gummi arabici injicitur, vel adstringentia vel oleum terebinthinae. Si sensibilitas parva sit et remedia illa non adjuvent et cereoli vel canales flexibles cum fascia in urethram ponuntur ad vas comprimentum.¹⁾

3) Ophthalmia, per metastasin, ubi effluvium ex urethra vel suppressum vel imminutum est. Hic bulbus oculi ipse laborat, unde rectius morbus blepharoblenorrhoea acuta est nominandus.

Saepe III vel IV dierum spatio oculus destruitur. Cura ut in chemosi.

Psorophthalmia vel blepharophthalmia purulenta, priori haudquaquam aequiparanda est. Per immunditatem nascitur, si quid humoris profusi

¹⁾ vid. Richter specielle Therap. B. III. p. 462—476
Bell Abhandlung über den bösartigen Tripper in den venerischen Krankheiten T. I. p. 136.

ex urethra in oculum venit.¹⁾ Etiam blennorrhagia oritur male tractata²⁾ semper glandulae Meibomianae primo corripiuntur. Cura nil proprii habet. Si blennorrhagia redit vel infectio nova fit, malum ultro sanescit.³⁾

Retensio urinae consensualis est, et inflammatio prostatae ut phimosis et paraphimosis alia ratione curantur.

Indic. IV. Inflammatione finita malas sequelas et morbos blennorrhagiam subsequentes evitemus.

Si erectiones dolorifcae, ardor in mingendo cum pruritu remanente, si effluvium muci ex urethra prope desinat, blennorrhagia quidem finita est sed et atoniam tollamus oportet, per diaetam nutrientem et injectiones adstringentes.

Mercur. solummodo utilis est, si in blennorrhagia symptomata consensualia, ut bubones, tumorem testiculi, prostatae, ischuriam, excoriaciones vel ulcera in urethra adsunt; etiam si blennorrhagia pertinacissina est, qua forsan per metamorphosin syphilis sustinetur, eo verisimilius si

¹⁾ Swediaur l. c.

Duncam l. c. ex simili causa blennorrhagiam varium vidit.

²⁾ I. I. Plenk a. l.

³⁾ Idem a. l.

nulla alia causa adsit. Attamen semper leviora hydrargyri praeparata demus e. g. Merc. dulc. Merc. solubilem Hahnemanni, Merc. gummos. Plenkii.

Indic. V. Si blennorrhagia alio morbo complicata est, ratio medendi etiam secundum complicationem est instituenda. Complicationem haemorrhoidibus requirit venaesectionem, sanguisugas ad anum, sulphur, antispasmodica et intus et ad locum affectum adhibenda.

Complicatio cum arthritide et rheumatismo requirit antiarthritica et antirheumatica, Guajacum extractum Aconiti etc.

Complicatio cum aliis symptomatibus syphiliticis requirit hydrargyr. mur. corros. cum opio. Si ulcus in urethra sit, recte injicitur solutio hydrargyri mur. corros.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS
A D I E C T U M.

Ego, Joannes Carolus Held, Braunfelsiae natus sum anno MDCCXCVIII. Pater meus medicinae Dr., SSmi. Principis de Solms, a consiliis aulicis et physicis ditionis Braunfelsensis magnam adhibuit curam, ut a prima aetate litteris ad ingenii culturam necessariis erudirer, institutionibus quidem privatis magistrorum domesticorum, quamquam persaepe morbi gravissimi litterarum studia intermitttere me cogerent. Anno aetatis meae decimo quinto gymnasii celeberrimi Guilburgen sis civis sum factus, ubi professorum doctissimum opera eo perveni, ut autumno anni MDCCCXV a. d. XVIII M. Novembris inter cives universitatis Gissensis Rectore t. t. Magnifico Cel. Arens, reciperer. In alma hac musarum sede Cel. Wilbrand anatomia tam universa, quam comparata, nec minus physiologia et botanice, Cel. Vogt chirurgia tam generali quam speciali me institendum curaverunt. Eodem hoc viro Cel. in arte fascias applicandi, in pharmacia, dynamica et therapia generali praeceptore usus sum. Cel. Balsopathologiam, therapiam specialem; beatus Mueller chemiam et mineralogiam; celeb. Schmidt physicen; cel. Rittgen chirurgiam generalem mihi tradiderunt. Apud hunc virum cursum opera-

tionum chirurgicarum et artis obstetriciae absolvit, eodemque duce in instituto obstetricio per annum clinicis exercitationibus vacavi. Per sex menses aegritudine coactus in paterna domo interea medicinam usque sanitatem rursus confirmata exercitans versatus sum. Ad studia persequenda Berolinum accessi vere anni MDCCCXVIII, ubi Rectore Magnifice Cel. Marheineke numero civium academicorum a. d. XXIV M. Aprilis adscriptus, lectiones Cel. Osann de materia medica, Ill. Hufeland de therapia morborum chronicorum speciali, Cel. Richter de cognoscendis et curandis morbis acutis deque doctrina morborum syphiliticorum studiose frequentari. In ophthalmiatricę Ill. Graefe, in doctrina de subitaneis vitae periculis Ill. Koreff, in anthropologia forensi Ill. Knape praceptoribus gavisus sum reverendissimis. Denique ad exercendam artem medicam in policlinico Ill. Hufeland curam aegrotorum in me suscepit, unaque nosocomium caritatis moderante Clar. Neumann frequentavi. Ad artem obstetriciam exercendam occasionem mihi dedit Exp. Friedlaender.

Iam peracto hoc studiorum medicorum cursu, et tentamine medico examineque rigoroso legitime absolutis, gratiosum medicorum ordinem qua pars est devotione oro, ut post dissertationem hancce hodierno die publice defensam summos in medicina et chirurgia honores benevole in me conferat.

THESES DEFENDENDAE.

I. Infantes, ex utero lue venerea affectos in lucem edi posse, contendō.

II. Natura febris et inflammationis eadem est, neutra autem unquam asthenica.

III. Gastrohysterotomia nunquam est indicata.